

Urkundenbuch zur Geschichte der mittelrheinischen Territorien (Ed. Beyer) Nr. 254 a

Ego Egbertus treuericae sedis episcopus videns monasteria et ecclesias nostrae diocesis omnibus aecclesiasticis usibus a diebus antecessorum nostrorum usque ad nostra tempora miserabiliter desolatas atque in id redactas ut vix esset spes eas reparandi placuit si non omnibus possem saltem aliquibus pro posse succurrerem Satius dicens quasdam ex illis meis diebus restaurare quam omnes neglectas relinquere quod nunquam convenientius aut stabilius fore credidi quam si unicuique loco propriam terram ut antiquitus statutum et concessum est deliberarem. Cumque in hoc minime prevalerem nec desiderii mei compos in hac re effici possem presertim cum ipsius episcopii maxima pars militibus esset in beneficium distributa ita ut nulli locorum propria hereditate prodesse possem. Illud incidit consilii quatenus ex aliorum terra locorum sumerem unde aliquid ad manum meam tenui quo alia reedificarem unde nichil habui. Quod factum stabile et firmum ea volui conditione ut nichil ex his que taliter ecclesiis contuleram vel a me vel a quovis successorum meorum divelleretur nisi aut melius aut eque bonum vice eius restitueretur hoc etiam pacto quicquid in villa Cobruno dicta monachis deo sanctaeque Mariae famulantibus in territorio treuericae urbis tradidi. In die dedicationis cryptae ipsius caenobii quando illam consecravi in honore ss martyrum Clementis et Gangulfi in celebratione vero missarum eiusdem dedicationis post consecrationem eucharistiae coram multis astantibus corpus dominicum accepi in manus imprecans anathematizando ut quicunque aut propria potestate aut aliorum instinctu ex eodem monasterio quid sibi a me vel tunc vel aliquando datum sit subtrahere vellet idem illi corpus dominicum ad dampnationem perveniret nisi ei aliud melius vel quod tantumdem valeret vicissim conferret.